

I. N. 7.

14. 6.
DISSERTATIO PHILOLOGICA,

De

CHIOR

BEMAROTH HATZOBHEOTH,

Exod. XXXIX: v. 8.

Quam

*Consensu Amplissimi Collegii Philosophici
in Regia Academia Aboensi,*

PRÆSIDE

Admodum Reverendo atq; Amplissimo

Dn. Mag. JOHANNE

MILLER

In Regio ad Auram Athenæo Phil. Pract. & Histor.

Professore Celeberrimo,

Pro Gradu in Philosophia
consequendo

Publice examinandam exhibet

S. R. M. Alumnus,

GABRIEL ERICHSSON,

Anstro-Finlandus.

*Ad diem 13. Febr. A:o R. S. 1712.
h.8. in Audit. Majori.*

ABOÆ,

Exc. HENR. C. MERCKELL, Reg. Typogr.

IN REGEM
SUMMÆ FIDEI
REVERENDISSIMIS IN
AC DO-
**DN. JOHANNI
GEZELIO,**

S. S. Theol. DOCTORI Consummatissimo, In-
clitæ Diœcesis Aboënsis EPISCOPO Eminentissi-
mo, Regiæ Academiæ ibidem PRO-CANCELLA-
RIO Magnificentissimo, Venerandi Consistorii
Ecclesiastici PRÆSIDI Amplissimo,

MÆCENATIBUS ET

PIA MENTE

SUSPICI-

DISCURSUM HUNC

TENUIS INGE-

EXIGUOS

IN

HUMILIMÆ VENERATIO-

INDICUM CER-

CUM

FLAGRANTISSIMA PER-

JUCUNDÆ PLACI-

ATQUE LÆTORUM O-

SACRUM

R. R. V.

Devotus

Gabriel

ET ECCLESIA M
VIRIS,
CHRISTO PATRIBUS ,
MINIS,

DN. DAVI DI LUND,

S. S. Theol. DOCTORI Famigeratissimo, Dioce-
fios Wexionensis EPISCOPO Amplissimo, Consi-
stori Ecclesiastici PRÆSIDI longe Gravissimo,
Regii Gymnasi atque Scholarum EPHORO
Permagnifico,

DOMINIS MEIS

ÆTERNUM

ENDIS

ACADEMICUM

NIOLI MEI

CONCEPTUS

NIS ET DÉVOTÆ MENTIS

TISSIMUM

PETUÆ FELICITATIS

DÆQUE SENECTÆ

MNIUN ADPRECATIONE

ESSE CUPIT

V. N. N.

Cultor

Erichson.

VIRIS De Ecclesia

Admodum Reverendo atque Praeclarissimo

D. M. GABRIELI THAUVONIO,
Ecclesiarum Nerpensium Pastori, & Districtus adja-
centis Præposito Accuratissimo, ut Mæcenati Ma-
gno, & Avunculo meo Benignissimo, ita per-
petua animi submissione jugiter
suspiciendo.

Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo

Dn. Mag. GABRIELI SALONIO,
Ecclesiæ Christi in Bierno Pastori longe meritissi-
mo, Patrono & Fautori multis nominibus benigno,
submissa animi reverentia devenerando.

Reverendo atque Doctissimo

Dn. ZACHARIÆ LUNDANO,
Ad Templum Cathedrale cœtus Fennici Aboënsis
Sacellano meritissimo, hospiti & Nutritori per
quadriennium, liberali ~~atque~~ benignissimo
affectu sincero ad cineres diligendo, atque
honore quovis afficiendo.

*Dominus, Patronus, Fautoribus & Ami-
gerrimus Hanc pro Gradu Magis-
& sincera tenuere av certissimum
atque offert*

Pl. P. R. R. C.
Observan-
A. &

Optime Meritis

*Admodum Reverendo atque PraeClarissimo,
D. M. ERICO STEENBERGIO,
Ecclesiarum quæ Deo in Halicō colliguntur Pa-
stori & Præposito Gravissimo, Patrono & Evergetæ
Propensissimo, humili mente sempiter-
num colendo.*

*Perquam Reverendo atque Clarissimo
Dn. GABRIELI ESCHOLINO,
Pastori Uskelensium Dignissimo, bene-
factori omni observantiae cultu
proseguendo.*

*Venerando atque Doctissimo
Dn. JOHANNI SAXENIO,
Ecclesiæ Biernoënsis Sacellano Vigilantissimo ut
quondam præceptorí integerrimo, ita nunc
Fautorí multum honorando.*

*cis Propensissimis, Benignissimis, Inte-
sterii Dissertationem, in mentis gratæ
cum voto omnigenæ felicitatis inscribit*

C. N. N. V. V.
tissimus
R.

Epitome

Mercis

etiam quod non solum in mercis sed etiam in aliis merciis.

D. M. ERICHO & THEODOREUS

Excellens dicitur D. M. Ericho deo si est ergo colligimus quod

hoc est quod apostolus gratitudinem habens de teum deum

propter beneficium tuum habere debet.

Quod consenserunt utrumque mercis

etiam quod non solum in mercis sed etiam in aliis merciis.

Excellens dicitur D. M. Ericho deo si est ergo colligimus quod

D. GABRIELI ESCORNO

Excellens dicitur D. G. Escorno deo si est ergo colligimus quod

Propter beneficium tuum opere vestrum gratias tibi

procedentes utrumque mercis

Naturam tuam gratias

D. JOHANNI SAKENIO

Excellens dicitur D. J. Sakeno deo si est ergo colligimus quod

duocentum bisseptuaginta integrerentur ita unde

Festorum multum honos uero

ad censes obsequia ab eo, ab eo quoque afficeret.

Excellens dicitur D. J. Sakeno deo si est ergo colligimus quod

duocentum bisseptuaginta integrerentur ita unde

centum et octo decimam et tres interius integrerentur

C. N. V. N.

Colligimus

R.

פְנֵיךְ וָאֶרְאֶךְ בַּעֲכֹרֶךְ וְלִמְרְנֶךְ אֶת־חֲקִיךְךְ:

Psalm. 119: v. 135.

§. I.



Cripturæ Sacræ canon consummatissimus, præter mysteria fidei, morumque regulas universales, omnes ætatum omnium homines respicientes, multa tam ceremonialia quam forensia, ad gentem solum Israëliticam, ejusque Rempublicam restricta, continet, quæ Sapientissimus ille Deus, in sui gloriam illiusque populi civilem atque æternam felicitatem, pro coercenda hominum petulantia, statuit: ratio quippe humana, principia natura nota excolens, ad cultum exhibendum religiosum, rerum somnium Creatori & Conservatori, obligari se animadvertisit: verum illa profundis ignorantiae tenebris immersa, cultum Legi Divinæ conformem extra revelationem nusquam reperit, sed multa, præter & contra eandem cum rectæ rationis abusu comminiscitur;

remet

2

remedium itaque haud renuit huic malo adhibere humani generis Restaurator , qui mentem suam , dum leges condidit atque statuta , mortalibus verbo suo sancto aperuit: namque omnis ipsi cultus fictitius pessime displicet , ad quem tamen homines cæco impetu præcipites feruntur , ni mandato cohibeantur severiori: cuius rei documentum , hic ipse populus nobis sistit , qui ante promulgatas leges Ceremoniales , absente Mose , horrendam admisit Idololatriam. Ea de re , Dominus cultum , multo apparatu insignem , constituit , cum ad exigendum obsequium debitum , tum ad explorandam benignitatem atque propensionem in suggerendis sumptibus ad rem Divinam necessariis , luxumque eorum reprimendum : Verum maxime ut per typum rituum externorum , in sacrificiis scil & sacramentis tam spiritualia quam corporalia bona illis impertiretur.

§. II.

Israëlitæ , dicto audientes , omnes , cuiusunque dignitatis , ordinis atque sexus , pro ratione facultatum , oblationem spontaneam , in materiam conficiendi tabernaculi contulerunt. Tabernaculum hocce , erat ædificium sacrum portatile , quod ex asseribus & tapetibus per partes conjungi atque dissolvi posset , cuius modulum seu ideam , Deus ipse Mosis in monte Sinai exhibuit. Ne autem res illæ in hunc usum consecratae ,

cratae, male, ad ἐπελαθρησκέιαν impenderentur, quemadmodum factum erat de inauribus aureis Aharoni oblatis: Ideo Bezaleelem, Virum, magna atque excellenti artium peritia insignem, nomine compellavit, qui praeclarus hujus operis, summa arte perficiendi, architectus foret; hic usui convenienti unamquamque rem destinavit, atque ex materia oblata, totum tabernaculum cum omni suo ornatu, & partibus singulis exstruxit.

§. III.

Inter cætera, ædificio hocce sacro contenta, scite & venuste summo artificio facta, erat labrum æneum, in atrio interiori quod erat sacerdotum, ad introitum tabernaculi, inter sanctum & altare holocausti collocatum, cuius structura Exod. XXXIIIX:8. describitur: **וַיַּעֲשֵׂה אֹתָהּ הַכְּיוֹר נְחַשֶּׁת וְאֶת כְּנוֹן נְחַשֶּׁת בְּמִראֹת הַצְבָאת אֲשֶׁר צָבָא פָתָח אַهֲל מְוֹעֵד:** Et fecit labrum aeris, & basin ejus aeris: ex speculis ministrarum, (ex aspectu turmatim convenientium) quæ ministrabant ante ostium tentorii conventus.

§. IV.

Hoc oraculum versiones variæ diverso modo exponunt, quare arduum videtur negotium,

ex Interpretum explicatione veritatem indagare, nisi ad Ebraicam recurramus veritatem, atque scientiam e fonte potius quam e rivulis quæramus: uti in Cap. 8. Zach. scribit Hieronymus. Absit tamen in perpetuum ut sacrarum scripturarum versiones, in quacunque lingua contineantur, inscīte atque maligne rejiciam, quæ Ipsius Dei beneficio, in nostrum & universi orbis usum insignem prodierunt, eas etiam verbum Dei esse, quatenus cum tabulis authenticis concordant, quoad rem & sensum, agnosco, Deumque ex iis salutariter cognosci; quia in omnibus & singulis linguis, voluntatem suam perspici atque intelligi, ratum habet gratumque. sed venerabilis licet fuerit translationum vis, intelligimus tamen eas esse verbi Domini sensum, vernacula lingua expressum ex ipso authentico verbo Domini, seu nativis fontibus, qui soli normæ instar sunt, juxta quam versionum fides examinanda: decet enim, ut unde ad nos venit salutaris translationis, inde iterum redeat decora correctio.

§ V.

Cum vero circa hunc locum valde dissentiant interpres, experiar quam idoneum genuinæ sententiæ eruendæ medium sit, diversarum versionum inter se, & cum fontibus, collatio. In expositione hemistichii prioris, hujus versus, omnes convenire arbitror; ideoque illud nullam nobis

¤ ¤

nobis interponet moram , subiectum thematis
nostrī paucis tantum describam : hoc in fontibus
voce כוֹר exprimitur , quam LXX. Interpretes
per ἀγνέα ie labrum vertunt ; quod ut mira
arte fabricatum , diversis sententiis varie depi-
ctum. Ad formam ejus quod attinet , eandem ha-
buisse , quam lacus in Templo Salomoneo collo-
catus , hæmisphæricam seu in formam conchæ
redactam , & quantitate solum ab hoc diversum
fuisse , vas illud Bezaleelis , non vero qualitate ,
ex sacris literis & Talmudicis antiquitatumque
Judaicarum scriptoribus quidam asserere nituntur.
Materiam quippe eandem tam in Exod. XXX: 18.
& XXXIIX: 8 cap. quam in 1 Reg. VII: 23. &
2. Chron IV: 2. reperies : in Textu נחשת pon-
tur , quod proprie æs denotat , sicuti etiam vox
eadem Nuni. XXI: 9. de נחשת five ser-
pente æneo usurpatur.

§ VI.

Vox נחשת autem , quamvis in Lib. Reg.
& Chron. non extet in eodem versu , quo lacus
hic describitur , in versu tamen præcedenti com-
paret : præterea etiam vox מזקֵד de hac materia
optime addita videtur : quantitate vero & am-
plitudine lacus Salomonis . Mosis labrum ante-
celluit , hoc enim à Bezalele fabricatum כוֹר ,
illud autem Chirami artificium propter suam

capacitatem **ים** sive mare dictum, labrum basiæne a suffultum, mare autem duodecim bobus æneis innitebatur. Siphones etiam atque epistomia aliquot, vasa illa habuisse probabile est, ex quibus aqua infusa depromebatur, lotionibus sacerdotum utrumque inserviebat; lege namque Divina sanctum erat, ut sacerdotes sacra facturi manus pedesque lavarent: non solum ideo, quia nudis ministrabant pedibus, qui facile pulvere & sordibus inquinarentur, sed etiam ob eam quam Talmudici tradunt causam, in Codice Talmudico Joma, Misna 2:

זה הכלל הירך
במקורש כל המיסך את רגלו טען טבילה
וכל המטיל מים טען קודוש יודען ורגלים
 i.e. quod haec generalis fuerit regula in sanctuario, ut quisquis texerat pedes suos, lavaret; qui etiam aquas ejecerat, manus & pedes sanctificaret, (ita honesto loquendi modo è scriptura petito Jud. 3:24. 2. Sam. 24:4. circumloquuntur ea quæ indecora videntur) sed tametsi mundus quis esset, tamen non intrabat atrium ad ministerium peragendum, antequam laverat. **אך אר'** Libri Cap. eodem Misna III.
נכנים לעורה לעבורה אפי טהור עד שיטבול
 quod ita ad verbum reddendum: nemo atrium intrabat ad ministerium peragendum, tametsi mundus, antequam laverat. Præcepit hoc Deus Exod. XXX:20. Multa de ritu lotionis dicenda essent,

essent, sed haecce pluribus persequi, angustia temporis vetat, cumque plus involvant difficultatis, ea, quæ sequuntur, ad illa evolvenda accingimur.

§. VII.

Voces בְּמִראֹת הַצְבָאָת plerique interpres vertunt ē *speculus*, εἰς καθόπιστον, uti LXX. Virorum Versio & Chald. Paraph. Jonath. & plures aliae, quæ præpositionem בְ loco מִ, per enallagen positam, cum voce מִרְאָת quæ visionem, aspectum, & aliquando speculum etiam significat) causam materialem denotare arbitrantur; veluti Exod. XXXV: 32. בְזָהָב ex auro, &c. in eodem versu: aut subjectum actionis, uti Lev. VIII: 32. בְבָשָׂר de carne, ideoque hic paratione transferendum esse: de vel ē *speculis*, vel ut Ligfotus contendit: ē *sectionibus pellucidis*.

§. IIX.

Accedit pro statuminanda hac sententia testimonium scripturæ, Job. XXXVII: 18. תְּرָקֵעַ i. e. חֲזִקִים כְּרָאִי מַזְקָה: עַמְשׁ לְשָׁחֲקִים expanderes cum eo ad superiores nubes, firmos, ut speculum fusum רְאִי & מִרְאָת ex eadem descendunt radice רָאָה vidit, quod antiquis erat specio, unde Latinis speculum dictum, quod

quod est instrumentum planum & solidum, lumen ad oculos per aërem regerens, naturæ ductu inventum, atque solerti Artificum opera è metallo vel vitro, fabricatum, quo objecta videnda referat, rerumque imagines reddat. Naturæ ductu id inventum esse dixeris, cum olei & aquæ natura, sola Creatoris dispositione talis sit, ut rerum simulacra repræsentet.

§. IX.

Qui primus specula adinvenerit argentea, Praxiteles nobilis quidam statuarius fuit, qui utut in marmore felicior, ideo & clarius, fecit tamen, ex ære quoque pulcherrima opera, referente Plinio secundo L. 34. c. 8. antiquis autem, non vitrea & fragilia, qualia nunc, in usu fuerunt specula, sed alia ex materia, eaque longe tenaciori, diverso scilicet metallorum genere, imprimis ex ære atque stanno, Dein, potiente rerum luxuria, ut ait seneca, specula totis paria corporibus, auro argentoque celata sunt. Nat. Quæ. l. I. c. 18. Et Plin. Hist. l. 33. c. 4. laminas duci, & specula fieri, non nisi ex optimo posse creditum fuerat: id quoque jam fraude corrumpitur, sed natura mira est imagines reddendi, quod repercius aëre, in oculos fieri, convenit. Nec enim est aliud imago, quam regesta claritas materiæ excipientis umbram. Atque ut omnia, de speculis aut: hoc loco peragantur, optima apud maiores fuerant Brundisina, stanno & aere misti.

§. X.

§. X.

Verum optime hac de re testatur Aristoteles, ærea antiquis usitata fuisse. Lib. de somn. c. 2.
 Τὸν καταργεῖν ακέραιος δηλός εἴτε ἀνέγησι
 οὐδὲ χαλκὸς διὰ τοῦ μηδεὶς εἶναι. h. e. Nam
 quod mundum est, atque pure exactum, com-
 monstrat qui quid acceperit: et vero (speculi)
 cum leve tersumque est. Idem ex Callimach. Hymn.
 5. colligere licet sic enim habet.

— — Κύπριος δὲ διαυγέα χαλκὸν ἔχοις τοι
 Πελάγιος τὰν αὐτὰν δις μελέθηκε νόμαν.



— Sola venus speculo usa fuisse

Feritur, & ornata m̄bis posuisse comam.

Et Athen. l. 10. κάτιπέρεν τὸ εἰδες καλκὸς ἐστι,
 οὐ δὲ νέος exterioris namque formæ et specu-
 lum est, vinum mentis.

§. XI.

Hæc utut vera sint, domestica tamen Ju-
 dæorum suffragia illis potiora. Sapientem illum
 audiamus Philonem, qui hæc refert: in primo,
 inquit, aditu, labrum erat abeneum, non ex
 rudi materia, ut fere sit, fabrefactum ab opifice,
 sed ex vasis iam ante expolitus, in usum tamen
 alium, qua mulieres mira animi alacritate,
 certatim benigneque contulerant. Specula enim
 ad quæ formam curare, solite fuerant, sponte,
 nemine jubente, Deo dedicaverunt; hæc ad se
 delata, opifices in massam unam confudie, ratus



nibil inde aptius confieri posse , quam labrum
(λεπίδη) ex quo se lustrarent sacerdotes tem-
plum ingressuri, ad obeunda sua ministeria , pedes
manuque lavando in signum vite inculpatæ. Ne-
que Rab. Abr. Ben Ezra ab hac sententia dissí-
det , quod ex commentario ejus patet , ubi hæc
extant: *Mos erat omnium mulierum, ut decora-
cent faciem suam singulis matutinus in speculis
eneis aut vitreis ad adaptandum tiaras, quas in
capitibus suis habebant, quarum & in libro Esaiæ
fit mentio. Ecce, autem in Israel erant mulieres
Deum colentes, quæ recesserant à concupiscentia
bujus seculi, & sua specula Domino sponte offere-
bant, non enim illis amplius opus habebant, ut
adornarent sese, sed veniebant per singulos dies,
ad ostium tabernaculi, ut orarent, & audirent
verba preceptorum ; & hoc est quod dicitur,
quæ turmatim convenerunt, sive quæ congrega-
bant se instar exercitus ad ostium tabernaculi,
nam plures erant.*

§. XII.

Horum testimoniis, ut & loci paralleli har-
monia innixi, è specula mulierum transferendum
judicarunt. Cæterum quomodo hæc structura
adornata fuerit, certo non constat, num è spe-
culorum venditorum pretio: sive iis labrum con-
fidentibus, seu foris ornantibus, atque ad intui-
tionis usum appensis, vel conchæ gemmarum in-
star

star insertis , aut è speculis in massam conflatis ,
& artificiosa manu in conchæ formam coagmen-
tatis , cum priseis temporibus in usu fuerint spe-
cula ex ære fusili , ideo enim fundebatur , ut soli-
dius foret atque constrictius . Hæc suo calculo
approbat religionis orthodoxæ Assertor atque
Vindex incomparabilis , Reverendissimus Dnus
Episcopus & Pro-Cancellarius Aboënsium , in
opere suo Biblico consummatissimo , in Exod. c.
38: 8. ad vocem נָצְבָתְהַ svet. Hærarna : quæ
sic latine reddere conabor : è speculis mulierum
turmatim convenientium , quæ exercitus instar
convenerunt , ad ostium tabernaculi conventus.
olim in usu fuisse specula è polito atque subacto
cupro & ære Hiob. 37: 18. Sicut adhuc sæpius ex
bene polito chalybe. Atque inter mulieres illas
quæ certatim donaria sacra , oblationem suam
spontaneam obtulerunt Cap. 36: 22. erant quæ-
dam sponte offerentes sua specula , quæ ornatum
corporis susque dèque habuerunt , sed spontanea
animi propensione Deo servierunt. D. Lutherus:
Mulieres hæ fuerunt Viduæ atque Matronæ piæ,
quæ jejunantes & orantes ante ostium taberna-
culi Deo serviebant , 1. Sam. 2: 22. 2. Tim. 5: 5.
quemadmodum etiam Lucas eo, meritis laudibus
Hannam Prophetissam prosequitur , Luc. 2: 37.

in speculis seu visionibus , i.e , tam tersum & politum , ut in eo faciem suam videre possent . Sed Vir ille Dei in scripturis potens , B. D. Lutherus vertit : gegen dem weibern / in aspectu mulierum , ita enim prepositio בְּמִרְאַת in בְּמִרְאַת suam primariam obtinet significationem , in , & vox מִרְאָת saepius in scriptura aspectum quam speculum denotat : illa autem scil . specula , alio nomine , גְּלִוְנִיּוֹת appellantur , uti Esa. 3: 23 . nec videtur vox בְּמִרְאַת causam materialem amplius indigitare , cum id factum sit voce נְחַשָּׁת sed potius situm vasis istius , uti Exod. 30: 18 . his verbis exprimitur וְנִתְתֵּן אֲתָּנוּ בֵּין־אֹהֶל מוֹעֵד וּבֵין הַמִּזְבֵּחַ & pones illud inter tentorium conventus , & ipsum altare : idemque sensus sit , quamvis verbis aliis exponatur , in dicto hoc loco Exod. XXXIX: 8 .

§. XIV.

Melchior Zangerus , versionem B. Lutheri , in hunc versum , tanquam minus accuratam , immerito carpit , nullas tamen rationes affert , præter suam versionem , super Latina , exstructam , quam infallibilem atque authenticam esse falso contendunt Pontificii , postquam in Concilio Tridentino consecrata , siue (ut vulgo dicitur) canonizata . Ultraque harum vertit , ex speculis mulierum , quæ excubabant ante ostium tabernaculi .

culi. Eodem fere modo Pagninus, nisi quod *convenientium* dicat, loco, *excubantium*, quem Celeb. Wittenberg. Theolog. D. Franzius, in tractatu de interpret: scriptur: emendare satagit. Nam in Hebræis ait: fontibus aliud dicitur. fecit concham & basin ejus æneam, ut in ea se contueri possent, scil. Levitæ, non vero ē speculis mulierum; quia nec ad ostium erat singularis illarum conventus, & in textu vocabulum mulierū plane abest. atque sic in **הצבאות** inclusos & sub intellectos vult Levitas. Sed hac in re sibi adversum habet, Jenens: Theologum pariter & Philologum acutissimum D. Salom. Glassium, in Philol. Sacra Lib. IV. Tract. I. p. 667. ubi dicit expositionem illam non posse subsistere, tum, quod Levitarum, in textu nec *ցնաւ*, nec per *Ճաշուար* h. l. fiat mentio, (voce autem **הצבאות** illi non possunt intelligi, ob genus, quod femininum est) tum, quod contuitione hac sui ipsorum haudquaquam fuit opus, quia clarius multo siue adminiculo speculorum, manus atque pedes suos, quos lavare jussi, intuebantur. Et si vero, in textu vox mulierum non habetur, extat tamen participium, quod substantivum illud ejusdem generis includit, præcipue cum detur locus parallelus 1. Sam. 2:22. qui ab interpretibus LXX. sic vertitur: *μέτα των γυναικῶν τῶν παριστημάτων* τὰς θύρας τοῦ νηύς τῆς μαζίγραφες. lat. quæ observabant (adstiterunt, ad ostium

ostium tabernaculi) in quo eadem hæc phrasis reperitur, quæ h. l. in textu extat, cui nomen נְשִׁי additum, atque ita concludit ex loco citato, ad ostium tabernaculi, fuisse conventum religiosarum Mulierum, cum expressa earundem fiat mentio. Verum D. Franzius in hac causa, omni culpa vacat, ipse enim semet hoc modo explicat, in iisdem lucubrationibus, oraculo 15. p. m. 218. ex hoc, ait: loco, scil. Exod. 38:8. colligere nemo potest, mulieres in templo Domini ullum habuisse munus, neque mansiones aliquot perpetuas, sed ad ostium, quovis ferme momento frequentes convenisse, quia nec ad punctum temporis, vacua erant loca circa templum. Et In oraculo 31. p. 344. Extra atrium sacerdotum stabat populus, qui conveniebat ad spectanda sacrificia, ibique cantabat & orabat, & extra hoc atrium sacerdotum, solebant haberi conciones ad populum, in diversis circulis hominum, unde nec mulieres excludit.

§. XV.

Tandem se nobis expendendum offert part: הַצְבָּאת ^א rad. צְבָא quod militare verbum est, & præcipue significat: *turmatim convenire*, atque *in ordine militare*, *stare*, *incedere*, per metaphoram vero, a liam etiam ob causam *convenire*, denotat; ut cultus Divini gratia, sicut: Num. 4:24. de familiis Gersonitarum usurpatur.

Itaque

Itaque monialium cellæ atque claustra, quæ fœminæ, Deo voti causa consecratæ inhabitarent, hinc deduci nequeunt, cum verbum hoc, non perpetuas excubias, sed multitudinem, ordinem atque certamen in devotione h. l. denotet. Nec alicubi legitur Levitas in templo domicilia habuisse, multo minus fœminas, quibus nulla officia sacra obeunda erant: Sed in civitatibus suis tam Levitæ, ministerii sui tempore expleto quam alii degisse leguntur Nehem. 7:73. צמיה igitur significat turmas instar exercitus, magno numero confluentes, Translatio LXX. וְצִמְרָה, reddidit, quasi in tabulis authenticis צמיה legissent. Chald: Paraph. que veniebant ad ordinandum: adeo ut hic, & illi, addidisse videantur ea, quæ sua opinione, sensum commodius exprimerent.

§. XVI.

Harum Versionum dissensus atque ambiguitas, fontibus nequaquam tribuenda; cum discrepent, non rerum vitio, sed Interpretum culpa. Tantum enim est discrimen, versiones inter & Authenticum Textum, quantum inter fontes ipsos, atque rivos ex iis manantes, qui eandem sub ministrant aquam, quamvis interdum arenulas trahant, quas tñ: accurata & crebra emendatione, tanquam per excusorium sive qualum, ab aqua segregant. nec dubitandum, quin ultima

versionis Lutheranæ recognitio, ad eum perfectionis gradum pertigerit, ut translationes multæ, ad nitidissimam hanc & limpidissimam versionem, συγχρήνως loquendo, ita se habeant, ut crepusculum ad clarum mane. quam etiam hoc loco comprobamus. Svecana tamen nostra in iubodium vocata, quum hæc ad genuinam Sp. Sancti vocem bene resonet, eundemque sensum quam apertissime atque perspicue exprimat: Etwårt emot hårarna / som för dôrene af wittnesbôrd sens fabernakell lågo; quæ cum fontibus proxime convenient; sed penes doctos sit judicium; quanquam non videam, vel cohærentiam textus, vel ullam circumstantiam h. l. appositio nem substantivi illius נשים ut volunt plerique, necessario requirere, quod exprimitur 2. Sam. 2: 22. etiam alia forte res est, quæ ibi narratur. Eadem ratione, imo, potiori jure, alia aliqua vox ejusdem generis, cum participio præcedenti apponenda, scil. אגדת, quæ congregationem sive cœtum & agmen militum denotat. 2. Sam. 2: 25. ווְתִקְבָּאוּ בְנֵי־בְנֵי־מֹן אַחֲרֵי אֶבְנֵר וְיָהִוָּה לְאַגְדָּה אַחַת וְעַמְרוֹ עַל־רַאשׁ גְּבֻעָה אַחַת: Recollegunt se filii Benjaminis post Abnerum, & facti sunt in turmam unam, constiteruntque super capite collis alicujus. Quæ vox per eandem metaphoram cum verbo צבאת in re pari potest adhiberi.

Plura hisce addenda quidem essent, sed nos
ut hic pedem figamus, temporis ratio monet.

Dominus Jehovah, Deus exercituum, un-
ctum suum, Monarcham Augustissimum, Re-
gem nostrum Clementissimum, regiones dissitas
peragrandem, atque pro salute patriæ excuban-
tem, sartum tutumque, atque ab omni incom-
modo, detimento, molestia, integrum conser-
vet, conata Ejus, consiliaque, Regno nostro Sueo-
Gothico salutaria esse jubeat, atque inceptis
eius, omni rerum successu aspiret, eum victoriis
inclitum, triumphis celebrem, regno & civibus,
patriæque redonet: וְאֱלֹהֵינוּ עַל־מֶלֶכְנוּ לְטוֹבָה manus Domini super Rege nostro in bo-
num! אָמֵן כִּי יֹאמֶר וְהָוֹה אֱלֹהֵינוּ אֲרֹנֵי הַמֶּלֶךְ: Amen: sic dicat Jehovah, Deus Domini
mei Regis! I. Reg. 1:36.

